


116. Seiten ohnehilser

I. A. C. C.



B. 191.

39
40
50
51
52
60
70
80
90
100
110
120
130
140
150
160
170
180



Index opusculorum hoc volumine
comprehensorum

Ut molli animo versiones in scriptores aliquot historiae literariae recentioris
historico-criticae

- 2) J. H. a Seelen de Cimbrorum in republ. Lubec. et Cimbrorum Lubeca-
rum in Cimbrum mentis
- 3) Eiusd. Symmieta libror. s. librorum rationis Index I.
- 4) ~~4~~ Eiusd. Index II.
- 4) 5) Ad. Hem. Lachmanni de codice Hafniensi Adami Brem. dissertatio
- 5) 6) Mich. Richey Polymæmones sive memoriae divinitus exempla
- 5^a) ~~7~~ Eiusd. Continuatio
- 5^b) ~~8~~ Eiusd. Continuatio altera
- 5^c) ~~9~~ Eiusd. Continuatio tertia
- 6) 10) Mich. Richey de Gallorum quorundam de Germanorum ingenij iudicij
- 7) 11) Jo. Burch. Menken de commentariis, quos Galli memores vocant
- 8) 12) J. G. Böhmii de Viti Beringii historia obsidionis Hafniensis Anecdota literarum
- 9) 13) Christ. Gottl. Buder de Frid. III Sapiente Saxoniae Electore Historiarum Patrono
et propagatore
- 10) 14) J. G. Böhmii de studio et doctrinae publicae Historiarum in Academia Lipsica
actu gratia
- 11) 15) Frid. Boomeri de vera Medicinae origine diatribe.
- 12) 16) Iustini Schlegels commentatio de Aeneae Sylvi in Romanas literas mentis
- 13) 17) J. H. Felfii de A. P. Polionis Bibliotheca Romanae publicata oratio
- 14) 18) C. W. Schneiders commentatio de antiquo libello Mirabilia Romae inscripto
- 15) 19) Jo. Ad. Dmrich de antiquitatibus Quensium literariis
- 16) 20) Recensio boni prodermi Chronici gottwiciensis
- 17) 21) Vindiciae Harabergianae
- 18) 22) Jo. Ad. Hartmanni Paucyricus Jo. Frid. Lib. Bur. de Hain dictus



- 19) ~~24~~ Memoria Jo. Matth. Gephneri auctore Jo. Christ. Richardso
- 20) ~~25~~ Elogium Job. Mayeri auctore A. G. Kästnero
- 21) ~~26~~ Elogium Jo. Gg. Roedereri auctore eodem
- 22) ~~27~~ Memoria Frid. Kofii Mathem. Prof. Kilon.
- 23) ~~28~~ C. A. Hennmanni Supplementa historiae literariae Göttingenspr.
- 24) ~~29~~ Jo. Frid. Rehkopf. de Zwicavi ensibus literarum orientaliu[m] studio clar.
- 25) ~~30~~ Memoria Henr. Eilh. Schröderi auct. J. M. Gephner.
- 26) ~~31~~ De vita et morib. a Seelen
- 27) Henr. Brokes De Lubecensium patria extra patriam.
- 28) Balth. Munter, Lubecensium apud caeteros clarorum Decas I.
- 29) Jo. Henr. a Seelen Lubeca orientalis.
- 30) " De Lubecensibus doctorum theologiae dignitate conspicuis.
- 31) El. Mascon De magnificentia consulari in republica Lubeca.

DE
V E R A
MEDICINAE ORIGINE

POTIORIBVSQVE EIVS
AD HIPPOCRATIS VSQVE TEMPORA
INCREMENTIS
DIATRIBE

A V C T O R E
D. FRIDERICO BOERNERO

PROF. PVBL. EXTRAORD. ACAD. NAT. CVRIOS.
CAESARAE SODALI

SOCIETATVMQVE TEVTONICARVM IENENSIS GOETTIN-
GENSIS HELMSTADIENSIS ET BONARVM ARTIVM LIPSIENSIS
MEMBRO HONORARIO.



VITEMBERGAE D. XXIX. NOV. MDCCLIV.

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD
ACADEMIAE A TYPIS.

DE
V E R A
M E D I C I N A E O R I G I N E

AD HIPPOCRATIS SEPTUAGINTA
IN E R R O R I B U S
D I A T E T I C A

A V O T O R I S
D I F R I D E R I C O B O R N I O

PHYSICAE ET MATHEMATICAE
SOCIETATIS PYSICO-MATHEMATICAE
GENEVE INSTITUTIONIS ET SOCIETATIS
MEMBER HONORARIUS



GENEVE
M D C C L X X I I

TOME SEPTIEME
M D C C L X X I I





DE
VERA MEDICINAE ORIGINE
ET POTIORIBVS ILLIVS AD HIPPOCRATIS
VSQVE TEMPORA INCREMENTIS.



enuia admodum, uti rerum, quas ad sum-
mum fere aevo nostro peruenisse videmus
fastigium, factarum omnium, ita artium et-
iam, scientiarum atque disciplinarum fuisse
principia, obscurosque per saepe et fabulo-
sissimis conspurcatis enarrationibus illarum natales, res est
tam certa experientiaeque et sapientissimorum mortalium
confirmata consensu, ut uberiori illa plane non indigeat pro-
batione. Exemplum in praesenti, ut reliquas taceamus, sume-
re liceat ab arte nostra, *quae, teste APVLEIO, non exitio, sed
saluti hominum quaesita est, ab arte inquam medica, omni-*

um reliquarum, quas unquam humanum excogitavit ingenium, non antiquissima solum, verum etiam propter utilitatem, necessitatem atque dignitatem suam praestantissima nobilissimaque. Ad huius enim si respiciamus originem ultimamque illius si repetamus memoriam, tam obscuram totque obrutam eam deprehendes fabulis, tot contradictionibus, ut parum etiam absit, quin praestantia sua inde aliqua ex parte defraudare ausi sint eam, qui nihil intactum finire solent, falesque suos in arguendis artibus prodigunt, ridiculi homines.

Animalia primos medicam artem docuisse mortales, antiquissimum, sed, ni fallor, fabulosissimum quoque commentum est. Sanguine enim abundantem *Hippopotamum* in acutas Nili insilire harundines superfluique sibi humoris elicere partem, indeque venaefectioni, maximo atque opportuno satis interdum artis subsidio, dedisse originem, *PLINIVS* auctor est, (a) summus anilium fabularum amator. *Ibidem* autem aquam iniurgitando feces primarum viarum eluere et euacuare; (b) *canem* ventriculum onere suo liberaturum, esu

grami-

(a) *Hist. Nat. Lib. VIII. cap. 26.* Hippopotamus, inquit, in quadam mendendi parte etiam magister exstitit. Assidua namque satietate obesus exit in littus, recentes harundinum caesuras specularis. Atque ubi acutissimam vidit stirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat atque ita profluio sanguinis morbidum alias corpus exonerat et plagam rursus limo obducit. *Hinc 10. HENR. SCHVLZE Hist. Medic. p. 38.* non obscure haec verba significare putat, quod non solum praeservatiue, verum etiam ad morborum curationem remedio hoc uti didicerint animalis huius exemplo Aegyptii, apud quos scilicet primum in usum vocatam fuisse venae sectionem constat.

(b) Testes sunt idem *PLINIVS loc. cit. cap. 27. ubi: simile quiddam*
(sc. ar-

graminis ad vomitum compelli, indeque per purgantia et emetica medicamenta, labefactatae mortalium sanitati succurrendi ortam esse consuetudinem, referunt alii, qui bruta animalia hominibus aliqua ex parte prudentiora esse probare videntur, ipsi tamen naso ornati adunco animalibus forsitan adhuc sunt inferiores. Tum forte obseruatum fuit porro, *bufonem* ab aranea ictum plantaginis maioris radice vulnere suo mederi, *cervum* pro eodem scopo quaerere dictamnium, lasciuamque *capram* caligine aut suffusione potius oculorum laborantem iunco aculeato in oculum immisso recipere visum, (c) idque genus alia: et hic haud defuerunt, qui varias inde Medicinae et Chirurgiae constitutas fuisse partes maximo confirmarunt conatu. At enim vero, non tam deformis et spectro simillimae faciei artis nostrae est origo. Longe maioris illa est dignitatis, longe eminentioris praestantiae. Quamquam enim lubentissime concesserim, dedecori nequaquam fuisse

A 3

primis

(sc. artis medendi partem) inquit volucris in eadem Aegypto monstrauit, quae vocatur *Ibis*, rostri aduncitate per eam se perluens partem, qua reddi ciborum onera maxime salubre est. AELIANVS *Hist. animal. Lib. II. cap. 35.* Αἰγυπτίωι, inquit, κλοσμάτα καὶ καθαρόν γαστροσ ἐκ ἐκ ἐπινοίας τινος ἀνθρώπων λεγούσι μάθεν. διδάσκαλον δὲ σφίσι τὸ ἰημάτος τὸδε τῶν ἰβήν ἀδει. adde PLYTARCHVM *de Iside et Osoride* prope finem.

(c) PLINIVS *loc. cit. Lib. VIII. cap. 50.* et AELIANVS *Hist. Animal. Lib. VII. cap. 14.* quem posteriorem locum docte et eleganter, uti semper solet, exposuit nuper admodum, *Magnificus* noster in hac Alma Professor Medicus Primarius, *Illustris* D. DANIEL WILHELMVS TRILLERVS, Progr. Acad. de Scarificationis oculorum *historia, antiquitate et origine.* Viteb. 1754. ubi satis magnam etiam antiqui pariter atque recentioris aevi auctorum exhibuit Catalogum, qui animalia tanquam salutiferorum remediorum inuentores in medium produxerunt.

primis nostris maioribus, si ex omnibus rebus nulla etiam vita praediret, ita ex animalibus etiam hauserint illi quaedam, quae emolumento sibi putarent: hoc tamen vix ac ne vix quidem persuadere mihi possum, tam obesae naris illos fuisse, ut coeco quasi exemplo imitati animalia arti hac ratione dederint originem, cum, quae enarrauimus, geometrica, ne dum historica veritate partim nondum conspicua sint, partim, si fide etiam sua defraudanda quaedam non sint, dubium tamen utique adhuc moueri queat, an ita comparata sint, ut primi artis inuentores naturae vestigia per tam varias atque insignes veritates ubique obvia, per easdem, et non per similes potius meliori ratione stabiliendas leges sequuti ad corpora sua applicarint. Exulent igitur ex eorum classe, quae arti dedisse dicuntur originem, animalia! Exulent et reliquae fabulae atque coniecturae, quibus obscuriores redduntur artis natales, quasque in praesenti omittens uberiore aliquando examine excutiendas referuo.

Longe enim augustiora, quae Aegyptii, Graeci atque Romani fecerunt, artis ad se nos inuitant initia. Hi quippe primos suos natales non ab animalibus, sed ab ipsis Diis Deabusque, commentitiis quamquam ut plurimum fictisque numinibus, artem traxisse medicam, summo sibi et aliis persuaserunt conatu, (d) certissimo documento, quanta apud has gentes fuerit illa auctoritatis. Et quamuis neutiquam de hisce quoque natalibus sit inficiandum, maxime fabulosae eos esse originis: a vero tamen alienum esse non puto, sub ipsis his fabulis

(d) Vid. CICERO *Quaestion. Tuscul. Lib. III. cap. I.* HIPPOCRATES de *veteri medicina* edit. Linden Tom. I. p. 27. καὶ ἀνέστησαν ὄξιν τὴν τέχνην θεῶν πρῶτον, ὡς καὶ νομίζεται.

bulis veri aliquid latere, et ex ipso hoc Deorum Dearumque, quibus morborum curam commisit temporum illorum superstitione, numero plures fuisse et ipsa arte medendi claros et eiusmodi beneficiis excellentes viros foeminasque, quibus dein post obitum diuini habitum sunt honores instructis templis variisque caerimoniis quam maxime conspicui. Non igitur mirum est, si MOX API, seu SERAPI, vel OSIRIDI, MOX ISIDI illius coniugi, (e) inuentae medicinae gloriam tributam fuisse; mox inventoribus illius annumeratum legimus BACCHVM, ARABVM, et HERMETEM, siue MERCVRIVM, quem Teutonem nostrum fuisse quidam asserunt. Non mirum, si nunc PALLAS, siue MINERVA, nunc IVNO, nunc DIANA, nunc PROMETHEVS atque TELESOPHORVS artis salutaris celebrantur auctores. Non mirum, si nunc AESCVLAPIVM, (f) nunc filias eius, HYGAEAM atque PANACEAM, nunc denique CHIRONEM illum CENTAVRVM, (g) in numero numinum medicorum inuenimus. Ast quis, cum tanta illorum sit copia tamque insignis multitudo, omnia illa enumerare potest; quis Deos Deasque omnes, a quibus inuen-

(e) Vid. si placet, EBERH. RVD. ROTH, dissertat. de *Osiride, Iside, Horo ac Typhone diis olim Aegyptiis*. Ienae 1671. ADAM. TRIBECHOVII *Moyse Mizraim Aegyptiorum Osiris*. Kiloniae, 1671 IO. LEHMANNI *disp. de Serapide, Aegypti Deo maximo*. Witteb. 1656. HENR. IAC. VAN BASHVYSEN *de Iside magna Dearum matre Seruest*. 1719.

(f) Vid. IO. ALB. SEBIZII *diff. de Aesculapio inuentore medicinae*, Argentor. 1669. IO. CONR. SCHWARZII *disp. de Aesculapio et Hygaea Φιλανθρωποις*, Altorf. 1725. IO. GODOFR. GVNZII *disp. de facibus in sacris Aesculapii* Lips. 1737. IO. CHR. MESSERSCHMIDII *Aesculapius Σαρνξ*, Halae 1752.

(g) AVG. QVIR. RIVINI *diff. de Chirone Centauro*, Lips. 1694.

VIII DE VERA MEDICINAE

uenta esse creditur, recensere valet? Nec etiam opus est, cum partim ex instituto praeclare iam hac opera perfunctos esse constet, viros omni liberali doctrina abundantes et non solum laude maiores, IO. FRIDERICVM MAYERVM, (h) IO. HENRICVM A SEELEN, (i) DANIELEM VINCKIUM (k) et CAROLVM FRIDERICVM HVNDERTMARKIUM, (l) Hermetem Trismegistum redituuum; partim ipsa etiam haec origo, inter suauius, quibus delectatur antiquitas, numeranda sit somnia religiosaque illa, quibus cultum Deorum amplificare studebant, figmenta. Vnicus modo superest ex eorum classe, omni silentio plane non praetereundus, qui a plurimis non gentilibus solum, verum etiam, qui comparandi illis sunt, poetis, vti reliquarum fere omnium artium, ita medicae etiam celebratur auctor inuentorque HORVS, qui proinde etiam PAEON, notiori autem nomine vocatur APOLLO. Et sane hic etiam, si quidam, omnium illorum est antiquissimus, et is quidem, cui caeteri omnes, qui medicae artis aliquid inuenerunt, debuisse gloriam atque reuerentiam, uno fere profitentur ore, adeo, ut nomen etiam suum a medendi facultate sortitum fuisse, quibusdam visum fuerit; (m) ab aliis, quod medicorum filiis medicamenta suppeditet,

(h) *Diff. de valerudinis Diis Deabusque.* Lips. 1690.

(i) *Diff. de Diis Deabusque veterum gentium medicis.*

(k) *Anoenitar. philolog. medicis, in quibus Medicina a servitute liberatur, Trai. ad Rhen. 1730. 8. Sect. I. cap. I.*

(l) *Exercitat. de principibus diis artis medicae tutelaribus apud veteres Graecos atque Romanos,* Lips. 1735.

(m) Ita enim EVSEBIVS *Praep. evang. Lib. III. cap. I. ως ἀπαλλάτταν καὶ ἀπολύων τῶν περὶ σῶμα νοσηματικῶν παθῶν*, quoniam quasi corporis aegritudinum solutor fit atque propulsator.

peditet, creditum sit; (n) alii iterum, quod idcirco etiam iuuenis pingi soleat imberbis, quoniam mortales in perpetua conseruet iuuentute, serpentem autem habeat comitem, propterea quod hic pelle quotannis exuta artem referat, cuius ope senectutis veluti deponantur exuuiae, putauerint; et ab HIPPOCRATE denique ipso, tam religioso affectus fuerit cultu, ut in illo, quo se et discipulos suos ad vitam medico dignam obstrinxit, iuramento, tanquam DEVS etiam primarius atque tutelaris fuerit habitus. (o) At transeant etiam haec de Diis Deabusque fabulosa commenta suauiaque somnia! transeat et ipse Apollo! Quid opus est ex tam longinquo rem arcessere?

Condita est potius, si accuratiori, veram eius originem, mentis contemplemur indagine, medicina a DEO cum condito mundo, (p) summoque et laudibus non satis

B

ex-

(n) Hinc EVRIPIDES canit *Alcestid.* v. 969.

ἴσα φοῖβος,

Ἄσκληπιάδαισι παρέδανε

Φάρμακα, πολυπόνοις

Ἀντιτεμῶν βροτοῖσι.

et CALLIMACHVS, hymn. in Apoll.

ἐκ δένου φοῖβε

Ἴητροὶ διδάσκειν ἀνάβληστον θανάτῳ.

(o) Plura de Apolline videre licet apud MEIBOMIVM in *Iureiurando Hippocr.* et SPANHEMIVM ad *Callimach.* imprimis vero adeundus est Vir clarissimus mihiq; amicissimus IO. CHRISTIANVS LEVSCHNERVS, in elegantissimo commentario, de *Apolline medico apud veteres* principe Hirschberg, 1749.

(p) Quare etiam non a Iudaeis solum aliisque gentibus Deo eam immortalis in acceptis relata fuisse constat, licet, quo potissimum nomine tanti IPSVM beneficii agnoscere debeant auctorem, impie partim, partim stolidè

extollendo beneficio, in humanae miseriae mortalibus largita solatium. Non autem, sicuti etiam facile visu est, persuadeat sibi quispiam, primis statim temporibus eandem artem nostram habuisse faciem, qua hodie pollet. Accepit eam potius postero demum die, propria mortalium culpa atque negligentia. Quamquam enim neutiquam plane sit negandum, nihil plane in latissime patente hoc rerum naturalium inueniri uniuerso, cui non larga manu DIVINVM NUMEN ad medendum indidisset facultatem, omniaque iam primis statim temporibus, quibus hodie gaudemus, simplicia adfuisse medicamenta, siue spectes ea, quae interiora scrutando terrae, ex eius eruimus visceribus multoque in nostros usus conuertimus labore; siue ea, quae multifaria nobis latissimeque patens natura vegetabilium, herbarum atque radicum suppeditat beneficio, omnium, ni fallor, optima; siue etiam,

lide satis intellexisse eos videamus: verum etiam consentientes haec in re videmus ipsos coetus Christiani antiquioris antistites, quos Patres vocamus, *Augustinum* inprimis et *Basilium Magnum*. Ex recentioribus autem, qui nobiscum sentiant, inprimis nominandus venit et nequaquam silentio praetereundus, aeternum illud Almae nostrae decus atque ornamentum, PHILIPPVS MELANTHON. Hic enim *Declamat. Tom. III, p. 105. In medicina*, praeclare ait, *tantam senserunt veteres vim, ut neminem mortalium dignum ducerent, cui tantum beneficium acceptum ferrent, sed magno consensu indicarent, a DEO reperiendam exhibitamque fuisse.* Plura qui hoc de argumento nosse cupit, adeat SCHLIZIVM, *loc. cit.* statim ab initio. GEORG. ERNESTVM STAHLIVM *Disp. de DEO auctore verae medicinae. Halae 1712.* et inprimis etiam Virum Summe Venerabilem ac praeclare doctum, Eccles. Belzigensis hodie Superintendentem gravissimum, Lycei olim Torgauensis Rectorem meritissimum, MICH. HENR. REINHARDVM, Praeceptorem meum omni pietate aeternum colendum, *Disp. de Medicinae originibus saeris. Torgauiae 1736.* habit.

etiam, quae porrigunt nobis aquae; siue denique, quae ab ipsis accipimus animantibus: omnibus tamen his remediis, nec non medicis etiam ipsis atque iatroalipis carere poterant diuino beneficio bonoque suo emolumento illorum temporum homines, qui a sanis atque robustis parentibus nati, non aere solum puro coeloque fruebantur salubri, verum etiam victu simplici vitam sustentantes suam herbisque et radicibus ad compescendam famem, aqua ad depellendam sitim (q) contenti, nulla voluptatis labe, nullis per luxuriam et artem corruptis cibus, nec caeteris, quae nostro aevo fanitatem deprauant quibusque morborum nutriuntur semina, obstaculis, (r) luxu, intemperantia, otio corpora sua effeminabant; sed vitam agebant tranquillam laboribusque consue-

B 2

tam

(q) Num ante uniuersalem illam inundationem ab omni carnis esu abstinuerint homines solisque vesci soliti fuerint herbis, radicibus atque fructibus, indeque suam acquisuerint longaeuitatem, diu quidem inter eruditos fuit certatum, et adhuc sub iudice lis esse videtur. Sed ego quidem de rei veritate certo certius sum persuasus, nullis plane carnibus ad compescendam famem primos homines usos fuisse. Provero enim non solum ad satis luculenta Scripturae Sacrae loca, *Genes. I, 29. coll. IX, 3*: Sed ex ipsa etiam, dieta iam longaeuitate, postero die sensim sensimque imminuta, eorumque, qui adhuc hodie victu hoc simplici contenti sunt, colligo senectute. Immo nec vini etiam usum, quem nos habemus, ante Noachi tempora notum illis fuisse, persuasum mihi habeo, sed uuis tantum, ut reliquis fructibus, usos fuisse credo. Plura de hoc argumento acriter atque docte disputat b. ANDR. OTTOM. GOELICKE Medicus Viadrinus nuper clarissimus, *Hist. Medicinae Vniu. Frf. 1717. 8. p. 9. sqq.* nobis ipsis autem uberius de eo mentem exponere, alia occasione constitutum est.

(r) De his quidem eleganter et docte, uti semper solet, exponit Illustris Vir, ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ, Medicus Lipsiensis, eruditissimo commentario *de iucundis morborum causis. Lips. 1753.*



tam et a morbis liberam, (s) exhaustis vero demum successiue viribus, lenta quasi dies suos obierunt morte. Haud igitur perperam facturum me arbitror, si primam hanc primorum hominum medicinam, circa eam solummodo occupatam fuisse partem affirmauerim, quae legitimum rerum sic dictarum sex non naturalium usum, indeque prouenientem bonam valetudinem interpretatur, hoc est *Diaeticam*. Hancque tam diu etiam excoluerunt conseruaruntque, quamdiu antiquis illis regulis contenti noua nec ciborum genera quaesiuerunt, qualia nostrum inprimis nimis curiosum seculum studiose satis excogitare solet, nec aliis, quae luxu, atque intemperantia nutriuntur, se dederunt vitiis. Quam primum autem post uniuersalem illam toti mortalium generi uniuersoque terrarum orbi tam aduersam inundationem, non aeris solum ipsius conditio penitus inuersa, coelumque, antea saluberrimum, plane esset immutatum; verum et homines paterna auitaque relinquerent vestigia: ceperunt paulatim hinc inde morbi nec visi antea unquam, nec auditi, corporibus mortalium fieri infesti, crescentibusque his, ex neglecta prioris illius aevi sobrietate, ortis aegritudinibus, creuit etiam, cum ex ingenito vitae conseruandae atque prolongandae studio incrementis illorum obstare cuperent, magis in dies medicina; creuit remediorum in spem morbos depellendi explorato-

(s) Nolit autem quispiam credere, ac si ab omnibus morbis cum HIER. MERCVRIALI *Artis Gymn. Lib. I. cap. I.* plane immunes fuisse crediderim homines illos primos. Praeter enim varias laesiones externas, de quibus dein, et internis, quamuis non sua culpa, affigi potuerunt morbis; an vero tot etiam tamque diuersis illorum generibus, uti nos, obnoxii fuerint, sua iam aetate PLATO dubitauit, et ego mihi vix etiam ac ne vix quidem persuadere possum.

ratorum eisque oppositorum notitia; ipsaque ars aliam paulatim, an meliorem dicam, an peiorem, anceps haereo, magis magisque obtinuit formam. Videntur tamen, nisi plane eiusdem, cuius diaetetica est, non tamen longe inferioris aetatis, aliae etiam adhuc esse artis medicae disciplinae, illa nempe, quae partium corporis nostri nos docet usum, hoc est, *Physiologia*, illaque, quae manu medetur et circa laesiones versatur externas, siue *Chirurgia*. Illud quidem ipsa testatur natura humana, cum non negandum sit, varias cordatissimos illos nostros maiores, cum mutuo se contemplarentur, amplecterentur atque coirent quoque, expertos esse actiones, quae huius vel illius partis oeconomiam naturalem exponunt: Hoc autem inde facili colligere possumus negotio, quoniam, uti iam ostendimus, firmis et solidis adhuc gaudentes corporibus ciboque facili et per artem et voluptatem non corrupto contenti, illis artis partibus, quae luxu et intemperantia potissimum nutriuntur, non tam opus habuisse videntur; externis vero quibuscunque laesionibus, vulneribus, luxationibus, fracturis, ex laboribus atque itineribus, quae suscipiebant, vix euitandis, facillime obnoxii esse potuerunt, ne de ira in praesenti dicam, inuidia, rerum aviditate aliisque, quae rixis, litibus bellisque dederunt occasionem, vitiis, plusque hominum inficere potuerunt animos, quam omnis mollities, luxuria atque libidinis cura; aut id commemorem, quod antiquissimae originis ea quoque Chirurgiae sit pars, qua parturientibus succurrere consuescimus foeminis, ipseque Adamus princeps τῶν μεινόντων καὶ τῶν ὀμφαλοτόμων fuisse videatur. Testes autem insuper etiam hac in re prouoco vetustissima historiarum monumenta, quae uno quasi omnia hanc Chi-

rurgiae aetatem affirmant ore, quod scilicet arti illa medicae praebuerit initia, et inter caeteras, quas medici hodie tractant disciplinas, omnium inuenta sit primum, (t) quinimmo antiquissimi etiam, qui medicorum nomine inclaruerunt, praeter herbas, quas in curandis vulueribus applicabant, (u) nihil fere in reliquis medicinae partibus praestiterint, hincque vel solam illam, vel saltem imprimis excoluerint; quid, quod ipsum vocabulum *ιατήρ*, vel *ιατρός*, ἀπὸ τῆς ἰσ, quod *telum* significat, nomen sortitum fuisse videatur; (x) ipsaque Chirurgia tanquam sensui propior, cognitu etiam atque inuentu longe sit facilior.

Sola igitur, ut verum profiteamur, propria nostra culpa, inducta est necessitas, quae homines ad quaerenda infirmitati-

(t) Eleganter et erudite, uti semper solitus est, hoc exposuit argumentum, Medicus nuper et Chirurgus consummatissimus, qualem raro orbis videt literatus, IO. ZACHARIAS PLATNERVS, Progr. *de Chirurgia artis medicae parente*, Lips. 1721. edit. et *Opusc. iunctim a Filio eius FRIDERICO*, Iurium in patria Academia hodie Prof. Publ. editis Lips. 1749. Tom. II. pag. 1. seqq. recuso; et ante eum iam eodem perfunctus est labore laudatus supra ANDR. OTTOM. GOELICKE Disp. *de mutilo medicinae corpore refarciendo per chirurgiam et pharmaciam postliminio reuocadas*. Halae 1709.

(u) Hinc SENECA, *Epist. XCV*. Medicina, inquit, primis diebus in paucarum herbarum constabat notitia, quibus sisteretur fluens sanguis et vulnera paullatim coirent.

(x) Testatur hoc non expressis solum verbis SEXTVS EMPIRICVS *aduers. Mathemat. Libr. I. c. 2.* edit. Lips. p. 225. dum inquit: Καὶ ὅν τῶν ἰατρικῶν εἰρήται μὲν τὸ παλαιὸν ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαίρεσως ἐπικατηγορέεται καὶ νῦν καὶ τῆς τῶν ἄλλων παιδῶν ἀνασκευῆς, πολλῶν τεχνικωτέρας ἔσσις. verum etiam HIPPOCRATES hoc affirmare videtur, utpote qui in libro suo, quem *de officina medici* inscripsit, nihil plane, quam quae ad Chirurgiam pertinent, protulit.

mitatibus suis compulit auxilia, cuique suos medicina debet natales suaque incrementa, quae postero tamen die ex variis ritibus atque consuetudinibus, nunc quidem per fortuitos casus, ut id, de quo nec spes nec ars humana cogitabat, sine consilio adhibitum remedium morbum fanaret; nunc per improvisum euentum, quo causa applicata, alium, quam exspectabant effectum, eundem tamen salutarem, fortiebatur; nunc per ratiocinium a simili, quo remedia, quae in hoc vel illo morbo prosperrimum ostenderunt auxilium, obseruabantur aliique occasione iterum asseruabantur; nunc per implorata oracula; nunc ab incubatione in fanis Deorum; nunc denique per somnia; idque genus alia, creuerunt et magis magisque in dies amplificata fuerunt.

Inprimis autem multum huc procul dubio contulit apud Chaldaeos potissimum atque Aegyptios, in quorum sinu magna statim medicinam cepisse incrementa certo est certius, et a quibus, ut alios complures ritus, illi forsitan acceperant, Iudaeos etiam (y) usitata consuetudo, qua in vias publicas forumque exponebantur aegri, omnesque iureiurando obstrin-

geban-

(y) Non quidem me latet, Experientissimum HUNDERTMARKIVM contra hanc sententiam strenue disputasse, negareque illum, hunc Iudaeis in usu fuisse morem. At semper tamen contra illum pugnant noui foederis loca *Marc. VI, 57. et Actor. V, 15.* An autem et olim ante Christum natum et antiquissimo inprimis illo tempore hunc Ebraei iam habuerint ritum, literis quidem expressis nullibi exstat commemoratum, licet tamen hoc aliquatenus colligere inde, quoniam Abrahamum Chaldaeos inter atque Babylonios diu versatum esse indeque in Aegyptum venisse scimus, unde varios ritus inibi obseruatos posteros suos forsitan quoque docuit; ut ipsos Iacobi posteros diu in Aegypto vixisse, eiusque incolarum, ut vitia, ita virtutes etiam sibi reddidisse familiares, in praesenti taceam.

gebantur transeuntes, ne praeterirent, nisi morbum perconcrati essent remediaque, quibus restitui posset sanitas, ipsique forsan aliquando fuerint sanati, indicarent. (z) Auxit dein artem porro, quod morbo liberati, methodum, quae adhibita fuerat, conscribere ac deinde ad sacerdotes deferre (a) solerent, ut in templi eiusmodi curationes deponerentur sacrariis, pluresque hac ratione, quid in similibus aliquando faciendum sit casibus, edocerentur. (b) Auxit denique neque minus artis scientiam et hoc, quod non per longum iam antea tempus solum usitato ritu, corpora animalium cultui Deorum sacratorum cultro subiicerent, viscera eorum inquirerent et ex naturali eorum statu situque futura ominarentur; (c) verum et nunc magis magisque frequentior fieret consuetudo cadauera mortuorum secandi, condiendi et exentis visceribus replendi balsamis, qua quippe ratione non solum de situ partium internarum vero atque naturali, verum etiam per saepe de ipsis mor-

(z) Plura de hoc argumento satis eleganter exposuit laudatus iam supra in patria mea academia Medicus clarissimus CAROLVS FRIDERICVS HVNDERTMARK, libello *de Incrementis artis medicae per expositionem aegrotorum in vias publicas et templa*, Lips. 1749.

(a) Hunc etiam ritum ab Aegyptiis Iudaeos, vel eos ab his sumsisse, credere nos iubent loca, quibus praecepta a Deo populo suo idcirco data continentur.

(b) Vid. HERMANNI CONRINGII, Disp. elegantissima *de Incubatione in fanis Deorum medicinae olim caussa facta*, Helmstad. 1659. cf. PLINEVS *Hist. Nat. Lib. XXIX. cap. I.*

(c) Quod quidem argumentum, pluribus olim exposuit Vir clarissimus strenuusque antiquitatum medicarum vindex, PHIL. IAC. HARTMANNVS *Dispp. de originibus anatomiae I.* quas cum nonnullis aliis laudabili nuper instituto recudendas curavit Vir Experientissimus, ERNESTVS GODOFREDVS KVRELLA *Fascic. dissertat. ad Histor. med. et Anat. spectant. Berol. 1754. 8. p. 16.*

morbis, quibus obierant, edoceri scientiamque suam insigniter amplificare poterant. Maximum itaque, orta inde variis vario modo factis obseruationibus inuentisque remediis experientia, arti dedit incrementum. Et cum ipsa haec experientia his modis facillime esset comparanda, cumque maxime seduli essent in hiis ipsis experimentis perficiendis arteque solidius exercenda, iuxta HERODOTI testimonium (d), maximam impenderent operam Aegyptii, omniumque propemodum incolarum sensim sensimque colligeretur scientia, adeo, ut, quot morbi, tot etiam fere essent medici, PLVTARCHVSQUE ideo etiam τὰς μὲν Αἰγυπτίους πάντας ἰατροὺς εἶναι ἀπόμειν dixerit: non poterat non crescere felicissimo successu in dies ars nostra, nouaque capere incrementa.

Ab Aegyptiis omne dein, quicquid modo profecerant illi, CADMVM PHOENICIVM transtulisse ad suos, et ab his Phoeniciis, quibus cum omnibus vicinis gentibus maxima erant commercia, circa Argonautarum expeditionis circiter tempora, anno post conditum mundum cIo cIo Io cc xxi transiisse in Graeciam, veterum historiarum testantur monumenta. (e) Hinc igitur ad Graecos, bonarum artium atque scientiarum strenuos illos cultores, deducta, magis aliquando exultit caput nouisque exornata fuit fulcimentis. Cum enim ea, quae ab Aegyptiis hac via acceperant, non constanter solum conferuarent illi, verum nouis etiam experimentis propriaque diligentia et laudabilibus studiose amplificarent institutis, et inter primos statim essent sapientes, qui arti huic nauarent operam, tum Poetae, LINVS, ORPHEVS, MVSAEVS, ME-

C

LAM-

(d) *Histor. Libr. II. Cap. 84.*

(e) Vid. IO. HENR. SCHVLZE *Hist. Medic. p. 68. seq.*



LAMPVVS, HOMERVS, (f) HESIODVS, alique; tum Philosophi proprie sic dicti; tum fortissimi etiam Heroes ACHILLES, HERCVLES, IASON; tum denique et qui ex instituto manum admouerent operi, APOLLO, CHIRON, (g) et in primis AESCVLAPIVS, qui subtilius paulo rudem excoluisse artem plurimosque sine omni sanitatis recuperandae spe decumbentes restituisse, hincque vitam defunctis reddidisse dicitur, ideoque etiam in numerum relatus fuit Deorum (h);
nec

(f) Vid. SCVLZE l. c. p. 166. et in primis ADAM. BRENDELII *Disp. de Homero Medico*. Viteb. 1700.

(g) De APOLLINE supra iam dictum est. CHIRON vero ille CENTAVRVS is fuit, qui cum sagitta semetipsum vulnerasset Hercules, herba, quae ideo *centauria* vel *chironia* etiam vocata fuit, vulnus curasse dicitur. Vid. PLINIVS *loc. cit. Lib. XXV. cap. 6.* quemadmodum etiam ulcera, quae ancipitis curationis sunt, *chironiorum ulcerum* ab eo acceperunt nomen, et a CELSO *Lib. V. cap. 28. p. m. 323 edit. Almeloven. Basl. 1748. 8.* descripta sunt. Conf. MEIBOMIVS in *iusiurand Hippocr. cap. XVI. p. 154.*

(h) Vid. MARTIALIS *Lib. IX. el. 18.* PROPERTIVS *Lib. II. El. I. PLINIVS l. c. Lib. XXIX. cap. I.* Tres autem huius nominis omnes arte medica quam maxime claros fuisse CICERO testis est *de natura Deorum. L. III. p. 22.* le CLERC. *Histoire de la Medec. Tom. I. Livre I. Chap. 14. p. 41.* primum scilicet Apollinis, qui specillum et vulnere obligationem inuenerit; alterum Mercurii fratrem, fulmine percussum, tertium Arisippi et Arfinoae, qui primus purgationem alui dentisque euulsionem reperit. Interim silentio non praetereundum quoque est, gallum atque serpentem, (forsan ab aeneo serpente Mosaiico Iudaeis in solitudine salutis causa erecto desumptum) sacros fuisse Aesculapio, uti ex Gyrardo, Natali Comite, aliisque Mythographis notissimum opinor, tanquam vigilantiae atque prudentiae symbola, propterea quod experientias sine ratione, quibus hac prouide utitur, vanas sterilesque esse,
ipsa

nec non bini eius filii PODALIRIVS et MACHAON, qui maximam sibi nominis famam ex artis peritia et bellandi gloria, uti HOMERVS testis est, (i) comparauerunt; uti etiam PATROCLVS, qui, cum PODALIRIVS ipse vulneratus muneris suo satisfacere haud valeret, eodem HOMERO (k) teste, EVRYPILVM sanauit: fieri non poterat non, quin iuxta CELSI testimonium magis aliquando apud eos, quam caeteras nationes, ars illa salutaris fuerit exulta.

Vti autem varie inter se discrepare videmus studia hominumque ingenia, (haec enim est vitae nostrae conditio,) ut iam libere iudicemus in nullius verba iurantes magistri, nunc autem variis praeconceptis occupati opinionibus in varias abeamus partes variisque ansa inde detur erroribus atque obstaculis: ita idem etiam iam tunc arti euenisse legimus salutaris, ut, idque magno quidem artis emolumento, tam per totam Graeciam Scholae instituerentur medicae, quam varia etiam, postero die artis incremento quam maxime perniciofa, orirentur obstacula. Et *illas* quidem *Podalirio* natales suos debuisse dicunt. Capta enim iam Troga dirutaque, cum domum nauigarent Graeci, ad Scyron *ille* Caryae urbem, tempestate delatus, sedem ibi fixit; et cum Graecia partim bellis flagraret, partim latrociniis pateret, deposita imperii cura, scholam aperuit, electamque eruditioni tam aduersis illis motibus paternam

C 2 artem

ipsa iam iudicauit antiquitas. Conf. IOH. ALBERT. SEBIZII Disp. citat. de *Aesculapio Medicinae Inuentore*, Cap. X. de *Gallo Aesculapii*. p. 54. atque Magnificus noster FRILLERVS *Poemat. Phys. Moral.* Tom. V. p. 553.

(i) *Iliad* Δ. v. 217, seqq.

(k) *Iliad*. Δ. v. 343.

artem restituit, docuit atque exercuit. Ex qua potissimum tres dein, maxime postero die celebres, ortae sunt coloniae, *Rbodia*, *Cnidia Coaque*. At ista quidem *Rbodia*, uti omnium inclarescere cepit prima, ita etiam primum iterum fuit extincta. *Coa*, vero reliquas omnes, ipso etiam hanc ei gloriam non inuidente *Galeno*, (1) fama atque celebritate superauit, quin immo et hodie adhuc, propter sola illa etiam *Praesagia Coaca*, quae *Hippocratis* inter scripta haud infimum merentur locum, nihilque aliud sunt, quam Observationes sic dictae practicae a Medicis Cois factae, ab Hippocrate autem post modum, vel alio quodam antiquo Scriptore in ordinem redactae, magnae apud nos esse debet aestimationis. Nec denique *Cnidia* huic proxima, ob celeberrimos, qui inde prouenerunt, medicos, minore laude est digna. Quo salubriores vero hae ipsae Scholae medicae, artis erant incremento; ad altius tamen adhuc procul dubio euecta fuisset illa fastigium, nisi alia, quam hactenus obseruata fuerat, plane via incedendum esse quidam credidissent, folique experientiae primatum deferendum iudicantes, variis sectis erroribusque dedissent occasionem. Ex his *Acron* in primis quidam, uti putant, *Agrigentinus*, cum nonnullis aliis, qui in eius iurabant verba, ille erat ipse, qui fundata in primis *Secta*, quae vocatur *Empirica*, (m) liberam aliquatenus medicinam,

(1) *Meibod. medend. lib. I.*

(m) Vid. quae Vir Illustris et omni liberali doctrina abundans arteque sua quam maxime clarus, Antecessor medicus in Georgia Augusta grauissimus GEORGIUS GOTTLÖB RICHTER Affinis et Patronus meus singulariter colendus docte proposuit, in Progr. de *Veterum Empiricorum ingenuitate*. Goetting. 1741. Et legi utique merentur, quae Vir praeclare doctus atque in arte sua Experientissimus Medicus hodie Wolfenbütte-

dicinam, et ad aliquem iam perfectionis euectam gradum, tanquam vinculis denuo constrictam, nouis iterum subiiciebat impedimentis (n).

Quare maxime utique et absque controuersia laudandus venit HIPPOCRATES *Cous* qui, et nonne diuina factum hoc est prouidentia? extulit prae caeteris caput et ipse iam patris atque maiorum suorum in rebus medicis laborantium inuentis diues, incomparabiles illos veteris medicinae eleganter iterum collegit thesauros, falsumque nihil, nihil immiscens inutile, tot praeclara templorum spolia, tot propriae industriae atque experientiae egregias gazas uno comprehendit volumine, experientiamque cum ratione coniungens, labentem restituit medicinam et in verae artis redegit formam. (o) Sed de hoc ipso *Hippocrate*, cuius apud omnes subsequenti aevi

C 3

medi-

hüttelensis clarissimus, Fautor meus honoratissimus MICHAEL ANTON KAYSER, pro Gradu Doctoris olim sub Praesidio HEISTERI disputauit *de Medicinae Sectae Empiricae Veteris atque hodiernae diuersitate*, Helmstadt. 1751.

(n) Fusius hoc de argumento quondam exposuit Praeceptor atque Promotor meus omni pietatis culta in cineribus adhuc Venerandus, PETRVS GERIKE, in his veteris medicinae deliciis, si quidam, exercitatissimus, eleganti commentario, *de Scholis atque institutis medicis in Graecia atque Aegypto ante Hippocratis tempora*. Helmst. 1748. Sed dolendum utique est, quod opus inceptum, morte nobis praematura ereptus, perficere clarissimus Auctor haud potuerit.

(o) Lege, quae Vir cl. GEORGIUS MATTHIAE exposuit vernaculo scripto: *Ob Hippocrates Wind gemacht, wenn er vor mehr als 2000. Jahren behauptet, die Medicin sey zu seiner Zeit schon ganz erfunden*. Göttingen 1745.



medicos, summa semper mansit reuerentia, pluribus differendi occasionem praebit ipsa huius diei, quem indico, solemnitas.

Cum enim non sine singulari immortalis DEI, quae summa eius erga me est prouidentia, nutu atque consilio ita euenerit, ut *Potentissimus Serenissimusque REX noster atque ELECTOR, Pater Patriae Indulgentissimus, Dominus meus longe Clementissimus*, submississimis meis clementissime annuerit precibus munusque Medicinam extra ordinem publice hac in incluta Academia docendi gratiosissime nuper mihi demandauerit: non sinit se diutius reprimi fidelissimae submississimaeque mentis impetus, dulcissimo, quod *regium hoc* mihi iniunxit *beneficium*, fungendi officio, publicaeque *illud* pietate atque religione colendi; ut, quanta cupiditate flagret gratissimus animus; quanto honori REGIS OPTVMI mihi ducam clementiam; quantoque afficiar gaudio, ut *huic Academiae*, ubi prima quondam ante decennium et quod excurrit artis hausi praecepta, summisque ducibus VATERO et STENZELIO, inter coelites nunc triumphantibus, *Magnificisque*


cisque Viris LANGGVTHIO et BOSIO Praeceptoribus atque Patronis aeternum colendis, quibus perennem a DEO precor fanitatem feramque senectutem, adolescentulus militavi, huic, inquam, Academiae, quam amaui semper, nunc adamare non desinam, deuouere me, vitam omnem studiaque quaeuis debeam, omnibus constet. Idque quidem ipsum, more laudabili recepto, proximo die XXIX. Nouembris facere constitui oratione solemni, qua pro perenni REGIS Maximi, Augustissimae REGINAE, Serenissimi Iuuentutis PRINCIPIS, totiusque FAMILIAE Regio-Electoralis salute, pia publice atque ardentissima nuncupabo vota, simulque, postquam Hippocratem tanquam summum ac perfectissimum boni medici exemplum breui adumbrauerim sermone, bonis, uti confido, auspiciis, demandatum adibo munus. Huius autem ipsius solemnitatis, cum plures cupiam optemque testes, dicturum me, ut Rector Academiae Magnificus, Comites Illustrissimi, Perillustris Liber Baro, Patres Academiae Conscripti, utriusque reipublicae Proceres,
cum

XXIV DE VERA MEDICINAE ORIGINE

cum Generosissimorum Nobilissimorumque Civium Corona
horis locoque consuetis beneuole audire, exoptatissi-
maque praesentia sua ornare muneris primordia haud
dedignentur, est, quod omni pietatis, obseruantiae,
honoris amorisque cultu rogo atque contendo. P. P.
in Academia Leucorea, Wittebergae Saxonum. Do-
minica XXIV. post Festum S. S. Triados

A. c l o l o C C L I V.

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.




No 113.
8 80

ULB Halle 3
008 867 283



m. l.





DE
V E R A
M E D I C I N A E O R I G I N E

P O T I O R I B V S Q V E E I V S
A D H I P P O C R A T I S V S Q V E T E M P O R A
I N C R E M E N T I S
D I A T R I B E

A V C T O R E
D. FRIDERICO BOERNERO

P R O F. P V B L. E X T R A O R D. A C A D. N A T. C V R I O S.
C A E S A R E A E S O D A L I

S O C I E T A T V M Q V E T E V T O N I C A R V M I E N E N S I S G O E T T I N -
G E N S I S H E L M S T A D I E N S I S E T B O N A R V M A R T I V M L I P S I E N S I S
M E M B R O H O N O R A R I O.



V I T E M B E R G A E D. X X I X. N O V. M D C C L I V.

P R E L O E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I
A C A D E M I A E A T Y P I S.

